Ordinis Medicorum
in
universitate Lipsiensi
h. t.
procancellarius

D. Joannes Carolus Gehler
therap. p. p. o. Fac. Med. Decanus acad. Decemvir,
Collegg. Maj. et Min. Princ. Collega, Societ. Oecon.
Lips. Memb.
~~hon.~~ hon. Civitatis Lips. Physicus

Panegyrin Medicam
ad D. XIV mar. CIƆIƆCCXC.
indicit
de Forcipis Johnsonianae prae Levretiana
et Smelliana praestantia
Praefatus.

Joannes Christianus

nondum contigit ea arti obstetriciae felicitas quam ipsi se sua opera adlaturum esse jam ante viginti fere annos promiserat, paulo jactantius de se gloriatus auctor anonymus (x). ut nimirum illa omni instrumentorum usu prorsus carere et difficulter parturientibus sola lenta a natura perficiendi partus expectatione, vel levi tantummodo manus opera succurrere opemque in nixu gratam et saluberrimam praestare possit. quod enim ille hoc suo loco promisso contraxerat nomen, quodque solutum se videre quivis cui humana salus curae est cordique avide omnino expectabat, tantum abest, ut vere solverit, ut potius ea, quae instrumentorum ope parientibus ars ferre possit auxilia novo quodam inaudito antea, nec hucdum multis probato dissectione nempe synchondrosis ossium pubis, augere mirum in modum allaboraverit. neque etiam, mea sententia, spes affulget, fore unquam ut instrumentorum usus in juvando promovendoque partus negotio, certe apud cultiores gentes cessare, et obsolescere queat, cum tam ob vitae ubique grassantium mollitiem, indeque

(x). in libro cui inscripsit: la Cause de l'humanité référée au tribunal du bon sens et de la raison ect 1771. cujus quidem auctorem fuisse alphonsum le Roi asserit Le Roux.

crimidam nervorum debilitatem magnam atque omnes fere vires corporis destruentem, quam ob receptam a plerisque delicatulis et nimium providis Mulierculis tenellorum infantulorum corpora tractandi vestiendi que rationem indeque saepius Pelvis osseae mire mutatam et ad partum omnino ineptam redditam formam. Multae ac satis graves mihi solent causae, quae tantam partus difficultatem efficiunt, ut deficienti naturae ars, opem prestitura non, nisi manu, instrumentis armata succurrere queat, nec ~~habet~~ lubet, nec hoc Scriptiunculo hujus angustiam licet, harum causarum longum hic recensere Catalogum: id tantum praedicandum nobis ac Celebrandum magnopere esse videtur, nostra nunc Aetate ut omnes norunt, ejusmodi instrumentorum apparatum a Celeberrimis arte Magistris et excogitatum et usu comprobatum hinc jure commendatum esse, quo possit obstetricans Medicus absque omni vitae infantis discrimine et absque ulla matri parienti metuenda noxa, his dictis causis Mederi, easque ut plurimum, modo caute et sollicite in applicandis his auxiliis versetur, felicissimo cum successu superare atque tollere.

quæ cum ita sint, infitias ire nullo modo possum, mirandum mihi omnino videri, esse inter recentissimos artis obstetriciæ et usu ac exercitio artis celebres viros permultos qui instrumentorum horum præstantissimum illud, divinitus omnino, ob insignem usum quem præstat, ~~cont~~ concessum humano generi donum, forcipem obstetricalem puto, contemnere, improbare, acri censura perstringere, imo inutili prorsus instrumentorum farragini accensere non erubescant, magisque ullam ad vanam ostentationem quam usum accomodatum esse existiment, idque publice profiteantur. Le forceps, inquit Le Roi in suo tractatu quem de synchondrosis ossium pubis dissectione luci publicæ exposuit, doit être banni de l'art des accouchemens. Zellerus, celebris viennensis scholæ artis obstetriciæ magister, de utilitate a vecte quondam Roonhuysiano dicto, in partu expectemdæ disserens

provocquent et alii quidam Forcipis osores ad Summi, uti in omni Chirurgia Sic et in artis obstetriciae exercitio periti artificis, Smelleri auctoritatem Summamque ergo Forcipem odium ea defendere et excusare Student. neque tamen ille, certe in eo, quem solent hunc in finem allegare adversarii hujus tam insignis instrumenti, Loco(x) Forcipis usum prorsus rejiciendum esse perhibet; narrat potius se Multos difficili in partu ingemiscentibus hoc instrumento optatam tulisse operam: monet tamen idque ut puto optimo jure, Sibi certissime esse persuasum, plus damni quam commodi praestitisse Forcipis usum. quibus quidem verbis, mihi certe, Solum modo videtur abusum ejus, et praepostere Saepe Susceptam ac inepte haud raro institutam ab inscius atque ignaris hominibus applicationem reprehendere, et rariorem ejus usum commendare. ipse enim memini me plus una vice vidisse ejusmodi iniqua ratione adhibitae Forcipis ad Solvendum Foetum ~~excmp~~ exempla, ubi infantem vel transversum in utero collocatum

vel Brachio prolapso exitum Molientem Forcipe prehendere, Sapienti Scilicet consilio, atque e Matris gremio protrahere annisi fuerant mire Sibi Sapientes, et de sua hujus tentopere Laudati instrumenti notitia Multum delirantes Medicastri, licet de vero hujus usu nihil plane ipsis innotesceret.

Etsi vero non prorsus deficiunt, quibus hanc suam Forcipis obstetricie reprehensionem contemnunt ~~qua contemnum~~ confirmare aut probabilem certe reddere Studeant dicti hi viri, argumenta quorum et quaedam non omni carere videntur veri Specie; nullo tamen modo, neque quod Supra attuli, quamvis a claris in arte viris prosectum vituperium, neque quae Mox commemoravi, a Deasio nuper denuum repetita et fuse recensita contra Forcipis usum argumenta me nunquam commovebunt, ut ipsis assensum praebeam; Sed ingenue fateor me magni facere omnino Forcipis usum, cum non Solum facile mihi videantur posse dilui ac refelli quae contra ~~sunt~~ eum Sunt disputata, Sed et Multa me experientia, plura que per triginta annorum Spatium facillime a me praestiti parturientibus Forcipis ope Levaminis

exempla docuerint plane que convicerint hoc instrumentum, si ullum modo bene illud sit constructum, et a rerum gnaro rite et circumspecte adhibeatur, tam ad servandam Setus in summo discrimine periclitantis vitam quam ad commodum omnique ratione tutum parienti serendam opem vere aptum esse maxime accomodatum. Aucturum ergo servet humanus genus eorum virorum memoriam qui tam praeclare de ejus salute meriti tanto studio inventum hoc jam antiquioribus temporibus instrumenti genus corrigere, emendare, usui que magis aptum reddere annisi sunt, adeo, ut nunc fere ad summum quem unquam attingere posse videtur, perfectionis gradum sit perductum. ex his vero prae primis nominandi sunt Levretus, Smellie et johnsonus, quorum quivis multum omnino in perficienda scientia obstetricia praestitit, effecit que sua opera, ut nunc nostra aetate cuivis artem obstetriciam exercenti, copia facta uberrima sit ea parturientibus apte succurrendi. cum tamen videam dissentire quadam modo in statuendo vero pretio, definienda que

Sunt ~~etiam~~ enim multo breviora in quo cum Smelliana Forcipis manubriis quam maxime conveniunt, a quibus tamen gracilitate sua diversa sunt cum multo crassiora ista fieri jusserit Smellie. utraque carent ea, qua Levretiana sunt instructa in fine incurvatione qua inveni loco posse ad protrahendas foetus partes se uti sibi ille persuadebat. hinc Manubriorum brevitatem vel ideo præstare longioribus Levretianis illis quilibet concedet qui secum animo reputet, constare ex legibus mechanicis, vectem quemvis eo minori vi in corpus movendum agere, quo minori spatio vis agens ab hypomochlio est remota. hinc multo minori vi comprimitur caput infantis a Johnsoniana et Smelliana Forcipe ob manubria breviora quam ab ista Levretiana. accedit, quod multos arridere invenio aliud adhuc leve mihi quidem visum argumentum ab eo desumptum, quod brevior Johnsoniana facilius possit abscondi et teste quasi, vel inscia Matre in uterum immitti, quod ~~cum~~ vix cum longiore illa Levretiana unquam fieri poterit, a cujus solo quoque adspectu mirum in modum conterreri sæpe meticulosas foeminas multi existimant. neque quam commemoravi supra, Manubriorum

johnsonianarum gracilitas vitio ipsis vertenda videtur quae facillime, si nimia sit et obstetricanti incommoda manuumque stuporem inducat, obvoluto linteamine adeo augeri poterit ut smellianorum crassitiem manubria adipiscantur, et tunc aptius comprehendi manu queant. recurvatos vero in unci formam manubriorum fines in levretiana forcipe laudato ab ipso scopo vix aptos esse experientia docuit; et licet videantur multum ad firmandam obstetricantis manum, indeque ad multo validiorem vim quae saepe ad protrahendum caput opus esse constat conciliandam facere omnino posse; poterit tamen utrumque et in johnsoniana quae his uncis prorsus caret, commode fieri, si digitum indicem angulo, qui mox supra brachiorum juncturam formatur, immiseris.

Hoc de manubriis. discrepant vero quoque multumque different inter se forceps levretiana atque johnsoniana in ea ratione, qua sibi invicem junguntur brachia. est enim ingeniosa quidem excogitata atque multa arte confecta ea brachiorum

junctura quam Leonitus in sua Scrip fieri jussit ~~jussit~~ fecit; multo tamen magis ista in ipso usu incommoda ac moleste videtur, cum necessario requirat, ut non solum masculum Brachium semper primo loco immittatur sed et ut utrumque Brachium ad certum definitumque punctum in genitalia intrudatur, quo feminei Brachii incisura excipere clavum mobilem in media parte brachii masculini prominentem rite queat: quod tamen quam saepius sit difficile inter ~~...~~ exercitatos artifices satis constat. Largior equidem hac ratione juncta sibi Brachia firmissime contineri ita ut fieri nullo modo possit ut recedant a se atque dilabantur; ~~e~~undem tamen certe non multo minorem firmitatem junctis Brachiis conciliare eam quo usus est Smellie et quam imitatus est et paululum ad hue emendavit johnsonius experientia crebiori doctus asserere nullus dubito. praeterea ista quam rejecta priore ad Leonitianam quodammodo accidente iisdem autem vitiis peccantem ad Smellianam

mentum composuit Johnsonus, brachiorum commissura, cum paulo profundiorem incisuram habeat, crassiore que Lamina brachium immissum continente sit instructa quam in Smelliana Forcipe, omnino juncta brachia firmius arctius que nectit; poterit etiam hic nexus firmior valde augeri et ~~po~~ pene immobilis reddi fascia manubriis circumducta noduloque colligata. quae cum ita esset quivis autem artis exercens obstetriciaus facile mihi concedet eo magis mihi hoc dicta jungendi Brachia ratio Johnsonii placet, quo faciliori negotio per eam licet brachia secum invicem copulare ac apte satis ~~usire~~; hinc praestantiorem ipsum Levitiana esse certissime mihi esse persuasum fateor. his ipsis commodis commemoratae rationis Brachia jungendi commotus jam B. Friedius junior hoc a Smellie Laudato modo in construenda sua Forcipe usus est, retenta tamen tam manubriorum quam Cochleariorum forma, atque mensura

Forcipis utilitate inter se artis Magistros, ita ut alius Smellianam, alius Levretianam, alius aliam in usum vocandam reliquisque praeferendam esse suadeat, quo nempe quisque uni alteri se generi magis adductus esse solet, breviter hic meam de harum Forcipum ratione exponere sententiam, et quae artis usus me de ipsis docuerit tradere constitui. in genere quidem monendum esse duco peritum in sua arte opificem posse quavis quae in promtu est Forcipe ad prehendendum foetus caput, et ex utero protrahendum commode uti, modo illa ad mentem doctorum virorum sit fabricata et ita incurvata quemadmodum Levretus primum curvari ejus brachia jussit. recta enim qua olim et Levretus et Smellie utebantur, ob valde circumscriptum ejus usum nunc merito ~~obsolevit~~ obsolevit. negandum tamen non est esse omnino in ipso artis usu unam alteri ob varias causas anteponendam, cum vel altius in uterum immitti queat, vel et partibus ossis magis accomodata videatur. solent plerique certe permulti Levretianam ~~tam~~ tam smellianae quam johnsonianae anteferre sola ~~[illegible]~~ autoris, tam bene de arte meriti,

summa auctoritate commoti. neque vellem Laudi Levretianæ forcipis mea sententia quam ipsi palmam præripere contendo Johnsonianam, aliquid detrahere, cum lubenter concederem, satis ad perficiendum opus aptam et illam videri: sunt tamen multa a Johnsono ingeniose in forcipis forma atque structura mutata, et ita ad ossea pelvis formam figurata, ut mihi certe eam multum prestare ceteris omnibus persuasum sit. cum viro in ~~dijumd~~ dijudicanda recte que definienda unius forcipis præ altera præexcellentia ad tria momenta potissimum respiciendum esse, vel ex ipsa quæ in emendandis ac alterius perficiendis his partibus mire fuit occupata, virorum celeberrimum cura ac solertia facile possit conjici atque intelligi; nobis etiam id datum esse ex igotii existimamus, ut in qualibet harum partium curatius paulum disquiramus, et, qua ratione qualibet in vario forcipum genere diversa sit explicemus quo cuilibet sit integrum rite de hac ~~re~~ differentia judicare~~ndum~~. examinanda ergo erunt manubria, postmodum juncturæ rationes, denique brachiorum quæ et aliis cochlearia dicuntur, figura ac forma. Manubria johnsonianæ forcipis magnopere ab illis quæ Levretus suæ adjunxit differunt.

ad Levreti forcipem composita, et magnum se percepisse
ex hoc suo capto consilio fructum saepius in Litteris
ad me datis affirmavit. Sed super est aliud adhuc,
idque mihi omnino semper maximum visum,
quo suam Forcipem ornavit Johnsonus emendationis
augmentum, quo ~~eam~~ ita eam construxit, ut vere, me
quidem judice, reliquis omnibus palmam
praeripere et multum praestare illa videatur;
illud nimirum, quod brachiorum formam
in primis ~~curvaturam~~ curvaturam, immutaret
et magis ad pelvis potissimum ossis sacri
concavam figuram accomodaret. primo enim
Loco Brachiorum ramos paulo magis a se
distare quam in Levretiana jussit, ut aucta
hoc modo apertura quae inter eos conspicitur
fenestram quam solent dicere, Latitudo cujusvis
Brachii, certe circa mediam partem et in apice
paululum major fiat; sique ~~hac~~ hac
Leviori visa correctione efficit ut firmius
contineri et prehendi eis rite et in apto loco
appositis caput foetus protrahendum possit

neque metuendum sit, ne forceps dum caput extrahendo solvere allaboramus, dilabatur et eandem prehensam dimittat. porro eam fossam quam Levretus in interna Cochlearium superficie, multa arte et tedioso labore exculpendam curabat, cum jure eo quod optimo eam nullius usus et plane supervacaneam esse existimaret rejecit Johnsonius; ramos que Brachiorum aeque in externa ac interna facie laevigari et apta politura lubricari curavit. ipsos quoque ramos quos fere teretes et paululum crassos smellianae ostendit, planos, latiusculos ac subtenues efformavit, quo, adunctis contactus punctis recte sic explicante KVHNIO, in egregia sua de forcipibus obstetriciis recens inventis dissertatione, majori firmitate infantili capiti adhaerere non solum, sed et tantam, quanta esset ab iis crassioribus ac rotundioribus metuenda, injuriam ac compressionem cerebro foetus adferre nullo modo queant. ~~hae~~ hoc omnia mihi maximopere probantur, in eo autem Johnsonio non assentiendum esse aperte fateor, quod velit Brachia forcipis corio investire atque obducere; fieri ~~autem~~ enim hoc artificio omnino posse autumo

ut non solum apertura sive fenestra, cujus tamen magna est
ad prehendendum caput utilitas, prorsus operiatur; sed et
quod multo magis extimescendum est, ut cuncta discrimina
quam sibi satis Levretus recensuit a tali forcipis
velamento metuenda v. c. venereae labis admodum facilis
propagatio certe inde nascantur. quorum malorum
metum optime evitabimus, si forcipis brachia
nullo omnino obtecta vel corio vel ut alii praecipiunt
panno sed prorsus nuda, modo rite ac bene polita
in sinum muliebrem immiserimus. convenit tandem
in forcipis suo cochlearibus curvaturam johnsonius ita
ut novam quasi certe in Levretiana et smellieana
non conspiciendam, addiderit fore tertiam incur-
vationem quam concavae ossis coccygis parti quam
maxime accomodaret. id vero efficit eo ut mox a
juncturae loco descenderi, et deorsum incurvari
ramum cujus libet brachii curaret, ipsam que
curvam quam describere debebat, lineam ita
formaret, ut adscendens arcuati brachii apex eam
rursus attingat lineam quae recta a summa
manubrii parte et junctura horisontali ratione
ad apicem usque excurrit. quo ingenioso omnino
excogitato incurvandi brachia modo, omnino

id consentus est laudandus auctor, ut ad Caput Fœtus rite adplicata Forcipis Membra, et junctura longe magis a perinæo Matris distent ac remota sint quam esse solent in Levretiana atque Smelliana. inde duplex omnino hic tantum ~~in~~ in universum commemorandum, cum per partes ire sigillatim quæ omnia exponere non ~~licet~~ liceat, masculus in arte exercenda sane magnum commodum. primum ut longe faciliori negotio possit hæc johnsoniana Forceps altius in uterum immitti, et infantile caput pelvis cavitatem nondum ingressum, sed superioris ejus aperturæ margini appressum prehendi ac firmiter contineri: quod licet alii v. c. Baudelocquius eo efficere allaboraverint, ut paulo Longiora fieri suaserint Levretianæ Brachia, multo tamen aptius hunc scopum posse attingi hac a johnsonio commendata curvatura multa me convicit experientia. alterum ab hac dicta curvatura expectandum commodum in eo consistere mihi videtur, quod hac ipsa mirum in modum perinæo prospiciatur, ejusque, metuenda a Forcipum usu multis visa ruptura optime caveatur. utrumque ut queat facilius

intelligi in addita tabula hoc meum ~~assertum~~ assertum iconibus illustrare conatus sui, curavi quæ depingi forcipum usitatam genera Levretianam Smellianam, johnsonianam ad caput fœtus applicata; ut cuilibet integrum sit hæc inter se comparare, et quænam altori præstet ac præ præponenda sit dijudicare

oratio a D^o Koch
de Meritis
Christiani Canditati
thenos auctoris

.... Candidatus qui non ut ~~fieri~~ nunc fieri a plerisque videmus præcipiti cursu per Medicinæ campos vagatus est, sed per plures annos id incuissime egit ut egregiam ac Solidam artis Medicæ scientiam sibi compararet neque avide devoratæ, hinc ut plurimum crudæ, sed bene digestæ ac per usum maturæ Medicæ in publicum proferret. Hic tam ordini nostro egregiis doctrinæ suæ ~~speciebus~~ speciminibus, quam omnibus qui eum noverunt, animi ~~cand~~ candore, morumque integritate summopere probatus nunc jure ~~q~~ meritoque iis, quos humanissime a nobis petiit honoribus est condecorandus. cujus favoris nobis benevoli commonstrati memoriam grata semper Mente nos esse culturos respondeo.

Explicatio Figurarum

Figura I.

monstrat illud partus Stadium, in quo infantis caput superiori Pelvis aperturae ad tertiam fere suae voluminis partem intrusum haeret, quod solent obstetricantes inclinicatum caput. s. incuneatum appellare.

a. Forceps recta Smelliana, cujus in hoc casu nullum vere usum esse eo liquet, quod, si caput prehendere debet nimirum reprimit Perinaeum.

b. . . Forceps Vulgaris Leovretiano-Smelliana, quae cum itidem perinaeum reprimat, vix adhibenda videtur.

c. . . Forceps Johnsoniana: quae satis apta cernitur ad bene comprehendendum caput, et ad perinaeum, a quo valde remota est ejus junctura, tuendum

d. . . intestinum rectum in cavo osse reconditum

e . . . perinaeum.

f. . . Vagina.

Figura 2.

ostendit Caput infantis pelvis cavitatem replens et ad ostium externum sinus Muliebris protrusum: in quo casu licet fere cujusvis Forcipis, ne rectae quidem exceptae, usus valere posse videatur, tamen et Johnsoniae palmam esse concedendam, facile perspicitur

Litterae a. b. c. d. e. f. easdem partes ac in priori Figura designant.



Fig. 1




Fig. 2.

